

h. 10, 12.

V 2  
944.

AD  
MEMORIAM  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI

FRIDERICI  
AUGUSTI,

REGIS POL. ET ELECTORIS  
SAXONIÆ,

ORATIONE SOLEMNI  
IN AUDITORIO MAJORE SCHOLÆ ILLUSTRIS MISNENSIS  
DIE X. AUGUSTI A. MDCCXXXIII.

CELEBRANDAM,  
VOTAQUE INSIMUL PRO SALUTE  
SERENISSIMI AC CELSISSIMI  
PRINCIPIS

FRIDERICI  
AUGUSTI,

ELECTORIS SAXONIÆ,  
NUTRITORIS NOSTRI CLEMENTISSIMI,

PIE NUNCUPANDA,  
GENEROSISSIMOS DOMINOS INSPECTORES  
EQUE AC

OMNES, QUI IN HAC CIVITATE BONIS LITERIS FAVENTI, IOTHIECA  
REVERENTER, OFFICIOSE ET PERAMANTER INVITAT  
MICHAVIANA

M. JO. HENR. MARTIUS,  
SCHOLÆ PROVINCIAL. MISN. RECTOR.

DRESDÆ, IMPRESSIT JOANN. GUIL. HARPETER.



51





**S**

I posteritas vnicuique decus suum rependit, eoque prae reliquis viri principes & de republica bene meriti digni censentur: nescio profecto, quinam meliore iure id exposcere aut expectare ab illa possit, quam Potentissimus Serenissimusque Princeps, FRIDERICVS AVGVSTVS, Rex Poloniae & Elector Saxoniae, ipsis Februarii Calendis hujus anni, fato cheu! infelici, nobis ereptus. Magnum hoc magni Regis instar, optimique Principis exemplum, cum in viuis esset adhuc, animos ciuium suorum, imo exterorum quoque, in tantam sui rapuit admirationem, vt meliorem sibi fingere, aut optare Principem nec vellent nec possent. Quicquid igitur laudis, quicquid honoris & venerationis excogitari poterat, id certatim in ipsum conferebant, addito semper voto, vt numen diuinum tantum Principem ac Regem diu adhuc rebus humanis interesse iuberet. Hoc autem cum aliter videretur diuinae prouidentiae, id certe sibi agendum omnes censent, vt hunc tot virtutibus excellentem Principem posteris commendent, quo, vt ingentia ex glorioso ipsius regimine comoda ad ipsos redundarunt, ita magnus quocunq; tempore ac aeterna gloria dignus ab iisdem habeatur. Et quidni magnus habeatur, cum talis vere fuerit, siue animum ejus magnum, siue res praeclare gestas, quae ex eo profluxere, considerare velis? Quantae vero sint, & quam insignes res ab AVGVSTO nostro gestae, non audeo enarrare, quia vix magna volumina, necdum hae angustae chartae recensendis iis suffecturae videntur. Compendium itaque rerum facturus, non nisi magnum Regis nostri animum quodammodo delineabo, vnde facile iudicium fieri poterit, quid de rebus ipsis, quae hoc animo gestae sunt, sentiendum sit. Splendidissimum enim videtur, inquit Cicero, quod animo magno elato-

AVGVSTVS REX POLONIAE ET ELECTOR SAXONIAE



que & humanas res despiciente factum est: & quae fortiter ac excellenter gesta sunt, ea, nescio, quomodo quasi pleniore ore laudemus. Hunc autem magnum animum in AVGVSTO nostro fuisse multa euincunt, inter quae praecipuum est, quod aequum semper se exhibuerit in rebus ad religionem spectantibus, nec quicquam in iis immutare unquam ausus sit. Nouerat quippe pro summa, qua valebat, sapientia prudentiaque, reges ac principes magnos non tam ex se nasci, quam nutu & arbitrio diuino constitui, cui parere, suasque attemperare actiones, regio fastigiò, ad quod enectus erat, omnino dignum existimabat. Nunquam igitur religioni manus iniecit, ac hominibus quidem, minime vero conscientis eorum se imperare credidit, quas, cum liberas esse velit sibi que dicatas diuinum numen, sub humanam redigere potestatem nefas duxit. Neque hic acquieuit magnus ille animus, sed AVGVSTVM quoque nostrum eo mouit ac perpulit, vt placabilis esset & clemens in eos, qui ipsum offenderant, & vindictam, quam meruerant, obliuioni daret. Paruum quippe atque abjectum prodit animum, qui iniurias sibi illatas sine discrimine vindicat, & ex illorum, quos ulciscitur, incommodis fructum oculorum capit. Hoc ergo vindictae genus magnus noster AVGVSTVS adeo abhorruit, vt, licet vel maxime posset, offensiones ac iniurias obliuisci, quam ulcisci, mallet, magnanimi more leonis, qui canum minorum latratus nec curat nec vindicat, sed generoso contentu transmittit. Et quid dicam de constantia eius in vtraque fortuna? nonne & haec, magnum AVGVSTO nostro animum fuisse, confirmat? Profecto aequabilem in omni fortuna seruare mentem non vnicuique licet, sed illi tantum, qui motus ejusdem ac perturbationes in potestate habet. Nam, quod Cicero ait, cum prospero ejus flatu vtimur, ad exitus prouehimur optatos, iisque delectamur: & cum refrluit, affligimur. Cum primis vero res secundae & ad voluntatem nostram fluentes superbiam, fastidium, & arrogantiam in nobis excitant, quae non raro tristissimorum euentuum causae esse solent. Nunquam enim, quod Seneca monet, solido stetit superba felicitas, & ingentium imperiorum magna fastigia obliuione fragilitatis humanae collapsa sunt. Hanc ob causam AVGVSTVS noster nihil regi conuenientius arbitratur, quam rebus aduersis semper animosum esse ac fortem, nec unquam animum despondere suum: secundas autem ita moderate ferre, vt aequabilitas in omni vita & idem semper vultus eademque frons appareret. Mirentur itaque alij magna illa ac splendida, quibus Rex noster vndiquaque affluebat: mirentur sumtuosissimos apparatus, qui eorum, quibus externa tantum obstupescere volupe est, oculos perstringunt: nos mirabimur cum posteritate animum vere magnum, a quo & boni & magni viri appellantur. Talis verò exitit AVGVSTVS noster, tam magnus scilicet, quam bonus, & tam bonus, quam magnus. Falluntur omnino, qui sibi persuadent, bonum dici posse, nisi idem omnis generis virtutibus sit exornatus. Neque enim vecors bonus est vel temerarius, multo minus tyrannus, aut rapax, aut violentus, nec ti-



10914 M

X 300 2269

midus, fociors, iners, iracundus, aut in quodcunque vitorum genus  
 effusus; verum sapiens, iustus, clemens, fortis, beneficus, is denique  
 est & appellatur bonus. Falluntur tamen & hi, qui existimant, ma-  
 gnum esse posse, nisi idem sit bonus, seu cumulo virtutum instru-  
 ctus. Scilicet haec duo non possunt separari, ut Seneca testatur:  
 nam aut nec bonum erit, aut nec magnum: nec quicquam magnum,  
 nisi quod simul bonum & placidum. Alexander Severus, Imperator,  
 initio suscepti imperii titulum magni ideo respuit, Lampridio teste,  
 quod nihil adhuc a se tanto titulo dignum factum esset. Facilius  
 fuit, Patres conscripti, dixit, ut Antoninorum nomen acciperem:  
 aliquid enim vel affinitati deferrem, vel consortio nominis imperia-  
 lis. Magni vero nomen cur acciperetur? quid enim iam magnum  
 aut bonum feci? cum id Alexander post magna gesta, Pompejus  
 vero post magnos triumphos acceperit. Quiescite igitur, veneran-  
 di Patres, & vos ipsi magnifici, vnam me de vobis esse, censete po-  
 tius, quam magni nomen ingerite. Tantum autem abest, ut hoc  
 impedias, quod minus AVGVSTVM nostrum magnum salutemus,  
 ut potius credamus, illum & animo magno & bonitate egregia & ce-  
 teris rebus praeclare gestis, hunc titulum jam dudum meruisse, aut  
 certe eo post obitum, ante quem nemo beatus dici potest, prae-  
 reliquis maudandum esse. Faciat igitur posteritas, quod suum est, &  
 decus rependat AVGVSTO nostro, magnumque illum appellerare ve-  
 neretur: Nos, quod nostrum est, faciemus, & memoriam tanti Re-  
 gis, instanti die Lunae, solemnibus orationibus, quae ipsum magnificentem ae-  
 que ac munificum sistet, celebrabimus; ita tamen, ut die subse-  
 quenti, aliis quibusdam orationibus, vota pro SERENISSIMA DO-  
 MO SAXONICA, ac imprimis ELECTORE NOSTRO AC  
 NVTRITORE INDVLGENTISSIMO pie ac humillime simul  
 nuncupaturi. Quibuscumque ut sua quoque jungant Generosissimi  
 huius scholae provincialis Inspectores, nec minus omnes, qui in hac  
 civitate Musis nostris ac bonis literis fauent, eoque nos sua exopta-  
 tissima praesentia dignentur, est, quod majorem in modum oro at-  
 que contendo. Dabam Misnae in illustri Afranco, D. X.

Augusti Anno M. DCCXXXIII.



10

VD18



h. 10, 12.

V 2  
944.

AD  
MEMORIAM  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI  
**FRIDERICI  
AUGUSTI**

REGIS POL. ET ELECTORIS  
SAXONIAE

ORATIONE  
IN AUDITORIO MAJORE SCHOLAE  
DIE X. AUGUSTI A. M.

CELEBRANDA  
VOTAQUE INSIMUL  
SERENISSIMI AC  
PRINCIPIS

**FRIDERICI  
AUGUSTI**

ELECTORIS SAXONIAE  
NUTRITORIS NOSTRI

PIE NUNCUPANDI  
GENEROSISSIMOS DOMINOS  
EQUE AC

OMNES, QUI IN HAC CIVITATE BOHEMICA  
REVERENTER, OFFICIOSE ET PERAM

M. Jo. HENR. M  
SCHOLAE PROVINCIAL. MISE

DRESDÆ, IMPRESSIT JOANN. GUIL. HARPETER.



HECA  
IANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE (SACHS.)

